



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinis

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. LIV. Quòd bibit de lagena vacua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

getatur? Corpus, vas stercorum, esca vermium, super hominem, super naturam est, gloriam hominis iam glorificati præterdit; quantum proficit spiritus, quantâ gloriâ sublimatur? O si videre liceat, sapere, & gustare, qualis sit iste languor, qui tantas vires etiam corruptibili corpori administrat! O si mori liceat hoc languore! Benedictus es tu, Domine I E S U, Pater Rectorque naturæ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & tuo ea Paruulo reuelasti.

CAPVT LIV.

Quòd bibit de lagena vacua.

CREDO, non minùs mirabile & naturæ contrarium, quod subiungo. Quia Domini Benedictus, in tanta debilitate corporis, quam sustinuit in itinere, nec equo nec aliquibus vehiculis utebatur: consueuerat paruum secum portare lagunculam, trium hau-

haustuum quatuorve capacem; ut quando praenimio labore & aestu intolerabili procedere non valebat, corpusculum nimis exhaustum aliquantulum recrearet. Secundum hanc igitur consuetudinem, iam appropinquante tempore resolutionis suae, cum quodam admodum religioso viro, laico tamen, seruus Domini ambulabat: & cum iam omnino fatiscentibus artibus caderet in defectum, confedit, & porrigi sibi lagunculam postulavit. Cui socius itineris sui ait: Iam de ista laguncula non bibetis, quia exhausta est. Ait I O S E P H: Oro, fac mihi duos calamos, quos per orificium lagunculæ in fundum eius immittam; si forsitan ibi aliquam guttam inueniam, quæ me aliquantulum refocillet, quia iam totus in defectu sum. At ille, licet sciret, nihil remansisse humidi in laguncula; obtemperavit tamen, & factos calamos porrexit I O S E P H. Quos ille mittens in

M fun-

fundum lagunculæ, hausit vinum, quantum cum calamis poterat exhauriri. Et dixit socio suo: Accipe, & bibe tu.

** Hoc videtur velle dicere: Credidit Frater laicus, se opinione deceptum; vinumq; a se fortasse non ita totum iam antè fuisse epotatum, ut non potuerit hausit superesse: ideoq; lagunculam, ut biberet, ori applicauit.*

* Credidit ille se deceptum, eò quòd fuisset aliquid in laguncula; & ori, ut biberet, applicauit. Sed, cum trahentem per calamos, nihil sequeretur omnino; comperit se non fuisse deceptum: dixitque ad IOSEPH: Quid bibitur, vbi nihil penitus inuenitur? Respondit: Tu nihil omnino scis. Et, accepta lagena, ait: Verte in partem hanc, ut inuenias. Et bibit etiam secundò: porrexitque ministro. Tentauit ille iterum; sed nihil inuenit. IOSEPH verò iterum, cum quadam iucunditate exprobrans ei quòd nihil inueniret, accepta laguncula, bibit & tertio; nihil penitus inueniente ministro: quia verè naturaliter nihil erat. Quòd autem vir plenus gratia vinum inuenit, vbi non fuerat; illius gratia factum est, qui cuncta creditur creasse de nihilo, & qui Electo suo tam inauditum

Mira sanè sunt hæc, ex laguncula vacua hausit vinum.

ORDINIS PRAEMONST. 179
ditum voluit miraculum non deesse.
Mirentur alij elementorum muta-
tionem, absentium cognitionem, pre-
scientiam futurorum, sanitates lan-
guentium; etenim hæc mirabilia sunt:
ego nihil tantum admiror horum,
sicut de nihilo aliquid factum esse.
Vnde enim in vasculo vinum est in-
uentum, vbi nihil dimissum fuerat; ni-
si operante folius potentia Creatoris?

C A P V T L V.

Quòd prædixit locum sepulturae.

DV M in talibus, & multò pluribus
mirabilibus, circa seruum suum
suas Dominus virtutes ostendit; et-
iam spiritu prophetiæ eum magnifi-
care curauit. Nam cùm dissolutionis
suæ tempus desiderabile immineret;
eodem anno quidam de Fratibus,
cùm post Matutinas Laudes, pausan-
tibus ceteris Fratibus, Ecclesiam in-
troiisset, & Officij matutinalis debi-

M 2 tum